DISPVTATIO DE CONTRAHENDIS ET COMMITTENDIS

Dandi ac faciendi Stipulationibus, &c.

QVAM,

ſub præſidio

Clariſsimi Iuriſconſulti,

D. D. EVERARDI à BRONCHORST,

publicè defendam

IOANNES BASIVS *Delphenſis.*

VI. Maij. Anno cIↃ. IↃ. XCV.

horis locóque ſolitis.

LVGDVNI BATAVORVM,

Apud Franciſcum Raphelengium.

cIↃ. IↃ. XCV.

57

5.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISPVTATIO DE CONTRAHENDIS ET COMMITTENDIS

Dandi ac faciendi Stipulationibus, &c.

THESIS I.

STIPVLATIO eſt verborum conceptio, quibus is qui interrogatur daturum, facturúmve ſe, quod interrogatus eſt promittit.

II.

Congrua verborum vt eſt neceſſaria reſponſio, ita incongrua eam vitiat, vſque adeo vt nec in vim pacti valeat inutilis Stipulatio.

III.

Purè rogatus, ſi conditionaliter reſpondeat, vel è contra, imo & Kalendis dare rogatus ſi Idibus reſpondeat, eum non obligari Vlpiano placuit.

IIII.

Sin autem in ſumma ſit diuerſitas inter Stipulantem & Reſpondentem, vt ſi de maiori rogatus de minori reſpondeat, vel è contra, catenus valere credimus quatenus in ſumma conueniunt.

Hæc autem diuerſitas non oberit obligationi, ſi in tempore, conditionibus vel maiori ſumma, ilico eadem placuerit.

VI.

Nec minus id fiet, ſi ſtipulanti Stichum, aut Pamphilum reſpondeatur, Stichum dabo; vel ſtipulanti Stichum, reſpondeatur, Stichum aut Pamphilum dabo.

VII.

Stipulationem quoq. imperſonaliter conceptam vtilem eſſe non dubitamus.

VIII.

In ſcriptis ſi quid dari vel fieri inter præſentes promiſſum legatur, ſtipulationem interceſſiſſe credimus.

IX.

Omnibus contractibus eſt accommoda ſtipulatio. Et quibus accommodatur, ex iis interpretationem admittit, ſuam tamen actionem producit.

X.

Hinc omnis res ſeu pecunia ex alia cauſa debita in verborum obligationem rectè deducitur, vt tamen nouatio non fiat.

XI.

Per Stipulationem ſeu Pactionem putant Doctores ex vna cauſſa vel contractu debitum rectè transferri in alium contractum, qui tamen non ſubſit: nobis id à iure alienum videtur.

XII.

Si tamen ſtipulatio ab initio in contractu innominato adhibeatur, nos etiam nominatum fieri exiſtimamus.

XIII.

Stipulator facti an poſt moram ad factum poſſit agere, dubitatur apud aliquos: nos tamen ſine ſcrupulo id credimus.

XIIII.

Non tamen ex conuentione promiſſorem ad factum præcisè compelli poſſe, noſtra fert opinio.

XV.

Promiſſor dandi, quod ad Intereſſe ſtipulatori teneatur poſt moram, vt nouum multis videri poſſit, attamen id veriſimilius nobis videtur.

XVI.

Cuius autem temporis ratio habeatur quando de æſtimatione facti vel rei promiſſæ diſceptatur, vt diuerſæ ſunt opiniones; melius eſt tamen id ad tempus referre quo nouiſſimè ſolui potuit.

XVII.

In fructibus litis conteſtatæ tempus ſpectandum eſſe in ſtipulationibus credimus. Ita tamen vt veriorem admittamus eorum opinionem qui fructus poſt hanc ſtipulationem perceptos, Rem dari vacuamque poſſeſſionem tradi, præſtandos ſtipulatori cum Papiniano voluerunt.

Digitized by Google

XVIII.

Sed cùm poſt moram in ſtipulationibus intereſſe conſideretur, num ſaltem fructus ſub eo comprehendantur, vt durum eſt negare, ita illud affirmare benignius erit.

XIX.

In faciendi obligationibus ſi fiat quod fieri non debet, vel non fiat quod fieri debet, committitur ſtipulatio ad intereſſe.

XX.

Alia eſt harum ſtipulationum ratio, ſi in Capitolium non aſcenderis, ſi Alexandriam non ieris, ſi Pamphilum non dederis, centum dabis: nam eæ committuntur, cùm certum ſit te dare, aſcendere vel ire eò non poſſe.

XXI.

Quòd ſi dies hiſce conditionibus adſit expectandus, is erit etſi extiterit quod aſcendere, dare aut ire nequeas.

XXII.

Si tamen id quod in talibus eſt conditionibus, fuerit etiam in ſtipulatione, vtputa Pamphilum dabis, & ſi non dederis centum dabis, certè committetur per interpellationem Stipulatio.

XXIII.

Diuiſioni ſubiecta pœna ſi contra quis fecerit committitur, ſi alter agat de quo in diuiſione tranſactum neget, & alter tranſactum defendat, & ſic aduerſus actorem iudicatum fuerit.

An au-